adversus dampnatum illum hostem et persecutorem acerrimum dei et ecclesie sue sancte
Ludovicum videlicet olim Bavarie ducem
suis horrendis excessibus ac gravibus et
culpis contumaciis et inobedientiis continuatis et auctis exigentibus precedentes
eum primo diversis excommunicationum sententiis
et penis aliis innodavimus et deinde
iure siquod sibi ex quadam electione discordi
que de ipso in regem Romanorum celebrata fuisse dicebatur ad regnum Romanorum vel imperium forsitan competebat necnon ducatu
Bavarie ac omnibus privilegiis libertatibus immunitatibus bonis feudis et iuribus
que a Romana vel quibuscumque aliis ecclesiis
aut imperio quomodolibet obtinebat iustitia et
exigente privavimus et subsequenter quia
per suas fautorias hereticas ac de scismatis et diversarum heresium criminibus se suspectum
manifeste reddidit et dominicam eundem
fautorem hereticorum declaravimus et postmodum de scismate diversisque heresibus
successive duximus finaliter condempnandum.
universis tam singularibus ecclesiasticis et secularibus personis cuiuscumque status conditionis ordinis aut dignitatis existerent
etiam si pontificali regali vel alia quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate
fulgerent quam communitatibus universitatibus civitatibus castris villis et locis
sub excommunicationis in personas singulares et interdicti
in communitates universitates civitates castra
villas et loca quas nisi mandatis inhibitionibus et monitionibus nostris parerent et
huiusmodi eos volumus incurrere ipso facto et
necnon privationis privilegiorum apostolicorum et imperialium ac feudorum bonorum
honorum iurium et officiorum quorumlibet que
a predicta Romana vel quibuscumque aliis
ecclesiis aut imperio quomodolibet obtinerent aliisque diversis tam spiritualibus
quam temporalibus penis et sententiis inhibentes
tunc et mandantes expresse ne predicto
Ludovico tamquam duci comiti regi seu
imperatori parerent obedirent seu intenderent recognoscendo sibi seu ab eo recipiendo terras potestarias rectorias seu
alia officia quocumque nomine censerentur in civitate vel loco aliquo nec aliquam
societatem ligam vel confederationem
cum ipso contraherent aut contractam
observarent nec consentirent etiam contrahende nec eidem faverent assistentes
seu prestarent cum armis vel sine armis
auxilium consilium vel favorem eisdem
contra inobedientes predicendo nos ad
inflictionem publicationem executionem
et aggravationem dictarum penarum
contra eos vel diversim prout delinquentium excessus exigerent et expediens videremus absque monitione ac citatione
alia si quando et quotiens oportunum
existeret processuros sicut in eisdem processibus plenius continetur. Sane sicut
fama seu potius infamia publica perduxit
ad nostri apostolatus auditum Gerardus de
Spinulis civis Januensis contra prohibitionem monitionem et mandata inhibitionem
huiusmodi venire temere tamquam fame sue prodigus et proprie salutis immemor non formidans prefato Ludovico eiusque complicibus sequacibus et fautoribus dampnabiliter adherendo favendo ac prestando auxilium consilium et favorem
ab eodem Ludovico tamquam imperatore et
castra terras et iura que dilecti filii commune Januense habent in castro Sigestri et ultra dictum castrum in riparia
Januensi eorumque vicariatu seu custodiam
portus veneris et Carnelie castris exceptis recepit. Et deinde civitatem Lucanam
nomine predicti Ludovici temerariis ausibus occupavit eundem Ludovici marescallum aliosque nonnullos ipsius
complices fautores et sequaces recipiendo fovendo et defendendo ibidem. Ex
quibus que adeo existere noscuntur et
notoria quod nulla possint tergiversatione
celari eundem Gerardum predictis excommunicationis maiores incurrisse sententias terrasque eius interdicto subiacere ecclesiastico et se suspectum
vehementer reddidisse de heresi dubium